1518 in 11 Aprilis.

37

# Cantilena in Coronatione Reginæ BONÆ Sphortiæ

Reginam Proceres Bonam Poloni
Quam fausto Dominam tulistis Astro
Nam quidquid latij fuit decoris
Translatum est gelidam Bona sub Arcton
Felices populi, beata Regna
Quam gentes dominis prætitis omnes
Felices thalami thori beati
Quæ mundi geminum iubar fovetis

## Alia Cantilena

Alma Sigismundi nova nupta Regis
Bona cælesti decorata vultu
Dotibus raris animi refulgens
Numinis instar
Cui dedit pulchrum Venus alma voltum
Et caput Pallas: probitas pudorem
Et dedit tanti Diadema Regni
Provida Juno
Quam nimis cunctas superas puellas
Laude quas summa celebrant Latini
Quasq nugaces Danai solebant
ferri sub Astra
Euge tam celso copulata Regi
Et thoro gaudens parili viroq
Cuius insignis penetravit atros
fama sub Indos
Vive felices decus Orbis Annos
Vota nec nostri populi morentur
Ut bona nobis bonus inde crescat
Arbore fœtus.